Quelle:
Copyright:





"Abbas, cujus analibus, qui Steroni vulgo attribuuntur,
"diu usi sumus, nos deserit".
Novissime tandem Oeffelius rer. Boj. Script. T. I. p. 616.
ex Apographo J. Aventini ad duorum Codicum Mss.
Altah. et Osterhov. fidem descripto, Anales Hermani
ab ao 1146. – 1273 publici juris fecit, veroqs Authori
restituit.
Jam ad codicem nostrum, qui et Hermano et Stero-
ni, quod cuique suum est, tribuat, et litem Saga-
cium hujus operis editorum componat. Initium hoc est:
"Ano Dni M. et C VI Mediante H. /: Henrico:/ juniore
"tacitus apud Moguntiam factus est in natali domini
"co totius regni teutonici conventus, quantus per
"multa anorum curricula nunquam est visus. Re-
"ferunt enim qui aderant, L II ibi primater vel eo
"amplius affuisse; adeo ut solus dux Saxoniae magnus
"nomine, quem jam gravior aetas impediebat, notaretur
"defuisse. Ibi Supervenientes apostolicae sedis legati
"Episcopus secundus Albanus cum Constantiensi senten-
"tiam anathematis in H. /: Henricum:/ Seniorem dictum
"imperatorem a tot sibi Succedentibus Apostolicis Sepi-
"us Sepiusque promulgatum Scriptis simul et dictis,
"testificantes, universam multitudinem imo toto orbe
"diffusam ecclesiam ab ejus comunione Xti et beati Pe-
"tri auctoritate multis jam anis sequestratam con-
"firmabant. Qua de causa dum ipse se de castello, quo
"manebant, Moguntiam exhibere tentaret, principes
"propter cavendum tumultum vulgi, suae potius quam
"filii parti favere solentis, ipsi in Ingelheim occurrerent,
"tandemque generali istum circumvenientes consilio us-
"que ad reatus confessionem satisfactionisque professionem
"perducunt. Cui tamen legati comunionem seu poeniten-
"tiae modum absque generali sinodo et apostolicae discus-
"sionis censura reddere ad praesens non possent. Ipse par-
"tis utriusque consiliis anuens Regalia vel imperialia
"insignia regni romani, crucem scilicet, et lanceam,
"sceptrum, globum atque coronam filii potestati tra-
"didit, prospera illi imprecans, illum primatibus mul-
"to fletu comendans; et extunc juxta sumi sacerdotis
"totius ecclesiae decreta suae consulturum animae pro-
"misit. Hoc ordine H. illius nominis quintus primum
"a patre, deinde ab universis regni principibus in re-
"gem jam secundo electus, ab apostolicis quoque
"legatis per manus impositionem catholice confir-
"matus, acceptis tam ab episcopis quam laicis juxta
"morem patriae sacramentis, regnare coepit LXXXVIII.